

# Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in  
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

**Chyträus, David**

**Lipsiae, 1592**

**VD16 C 2504 T. II**

**Caput XXXVII.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

gem, liberos, facultates tuas, Deniq; sit gubernator & defensor ecclesiæ, Politiaæ, Oeconomiæ. *Illuminet Dominus faciem suam super te.* aspiciat te serena & læta facie, ostendat se tibi placatum & clementem, exhilaret & recreet te, sicut Sol mane oriens, sereno & læto lumine, omnes homines & animantia recreat. Ita filius Dei, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, per lucem verbi seu euangeliū sui, accendat in tua mente lucem veræ agnitionis Dei, & veram consolationem, læticiam & gaudium conscientiæ liberatæ à terroribus Diaboli, peccati, legis, denique vitam & lætitiam æternam. Significat enim lux apud Ebraeos, non solum hoc lumen, quod oculis corporeis percipitur, & notitias mentis, qua res agnoscentur, sed etiam vitam, consolationem, lætitiam, liberationem ex summis malis, diuinam gubernationem, defensionem & æternam felicitatem. Conferantur autem ad hanc phrasin Aaronicam illustrandam sententiæ Iohan. 1. 2. Corinth. 5. Esai. 9. Iohan. 8. Esa. 60. Mich. 7. *Et misereatur tui.* sit beneficus erga te. Sæpiissime enim significat vocabulum misericordiæ idem quod beneficentia orta ex amore & benignitate seu bonitate gratuita, vt Osc. 6. Misericordiam volo. *Leuet Dominus faciem tuam super te.* Cùm tenebræ peccati, infidiæ diaboli, externæ persecutio[n]es, terrores mortis & morsus desperationis, lucem diuinam h. agnitionem gratiæ diuinæ, consolationem & lætitiam conscientiæ, extinguere & delere conabuntur: Oro te Deus, vt tuam istam salutarem & viuificam lucem euehas & extollas, vt emineat & suo splendore obruat omnes tentationes, sicut Sol ex atris nubibus & tempestatibus emergens exerit suum iubar, & pulsis tenebris, gratam & salutarem lucem reducit. *Et det tibi pacem.* salutem animæ & corporis, Das es dir wol gehe an leib vnd an seel / pacem & tranquillitatem conscientiæ, & felicitatem in omnibus vitæ consilijs & actionibus, Amen.

## Caput XXXVII.

**O** M N I S generis cibos sumit venter, sed tamen aliis alio lauitior est. Ut lingua degustat farinam: ita cor intelligens examinat verba doli. Homo callidus potest quem precipitare in exitium, sed homo peritus id præcauere nouit. Omnes matres amant filios, & tamen sa- pefelicius res cadunt cum filia quam cum filio.

Mulier formosa exhilarat maritum suum, neque is cha- rius habet quicquam. Quod si ad hec suauis est moribus & proba, tunc huic viro non facile inuenitur similis. Qui habet diligentem matremfamilias, constabilit rem familiarem, & sociam habet fidam, & columnam, qua consolari possit. Ubi non est sepes, vastatur predium. Et ubi non est materfamilias, ibi maritus miser est, quasi errabundus vagetur. Quemadmodum

Prudentia  
deprehendens perfidi-  
am amico-  
rum fucato-  
rum.

Chyt.

modum non solemus fidere latroni, qui nunc hanc, nunc illam urbem clam perreptat: Ita nec fidimus viro, qui nidum non habet, sed diuertere cogitur, ubiunque nox eum opprimit.

Amici perfidi.

Quilibet quidem amicus dicit, Et ego amicus sum. At quidam tantum titulotenus amici sunt. Quando amicorum inter se concordia dissipata, acerbitas usque ad mortem durat. Proh unde tamen prodit hoc nefarium & sceleratum malum, quod totus mundus plenus est perfidia? Quando amici res sunt secundae, latantur cum eo. Ubi autem sunt aduersa, ex amicis sunt inimici. Condolent ei propter ventrem. At cum ingratis necessitas, tum ipsi ad scutum configuntur. Noli obliuisci amici tui cum letaris, & memor sis illius cum ditescias.

Consiliarij.

Quilibet consultor vult dare consilium. At quidam priuati commodi causa consuluntur. Causa ergo a consiliariis. Cogita primum an possit. Nam ipse forsan vult consulere sibi, & te subire periculum, dicitque te insistere via recta, & tamen contra te est, & obseruat, quid euenturum sit. Noli inire consilium cum eo, qui te suspectum habet. Neque adhibe in consilium eos, qui tibi inuidentur. Perinde atque si consulas mulierem quomodo officiosè tractanda sit amula aut pellex eius. Aut si consulas hominem abiecti animi, quomodo cum hostibus congregendum sit, aut mercatorem, quanti tuas merces praesuis astimet, aut emtorem, quanti tu vendere debeas, aut hominem inuidum de ratione beneficentia. Aut crudelē & immisericordem de modo condonandi, aut segnem de assiduis laboribus, aut erronem & pigrum mercenarium, qua fide locata opera prestanda sit, aut desidem ministrum in domo de negotiis exaggeratus. Eiusmodi noli adhibere in consilium, sed semper adiunge te timenibus Deum, quos scias seruare mandata Dei, qui eiusdem tecum sint sensus, qui compatiantur tibi, si forte impingas, illorum consilijs adhære. Neque enim fideliorum inuenies consiliarium. Et eiusmodi unus acutius cernet quid, quam septem vigiles, qui excubant in specula. Sed in omnibus tamen inuoca aliissimum, ut det successum factis tuis, nec patiatur te labi aut errare. Antequam aliquid incipias, primum interroga, & antequam aliquid facias, consilium pete. Nam ubi aliquid non instituitur,

sunt, ibi necesse est unum ex his quatuor accidere, ut bonum fiat, aut malum, vita hinc sequatur, aut mors, & hoc semper gubernat lingua. Inuenias hominem aptum ad consulendum alijs, qui alijs sapit, & sibi nihil sapit. Inuenias hominem, qui conatur prudens dare consilium, & tamen alij inuiti eum audiunt, manetq; in mendicitate. Quia a Domino non habet gratiam, nec est sapientia in illo. Pleriq; sapiunt ex propria experientia, & hi suis consilijs prosunt Republicæ, & quasi acutamente id quod expedit. Vir sapiens nouit docere populum suum, & suo consilio prodest alijs, & scopum tangit. Vir sapiens valde laudatur, & ab omnibus videntibus ipsum celebratur laude. Quilibet præstitutum habet tempus ad vivendum. At tempus Israëlis est sine numero. Vir sapiens in admiratione magna est apud suos, & nomen eius in aeternum manet.

Magna ex parte in PRUDENTIA præceptis consumitur, qua & perfidiam ac insidias amicorum fucatorum deprehendi & præcavéri, & in actionibus ac negotijs omnibus, consilio hominum fidorum & sapientum vivendum esse moner. Insertæ sunt autem sententiae continentes laudem coniugij, & speculum formosæ, suavis, probæ, diligentis & industriæ matrisfamilias: & reprehensionem vagarum libidinum, quas latronum erotibus confert. Cum autem de hac materia superius cap. 25. 26. & 9. & de amicis perfidis capite 6. 13. 14. 22. dictum sit, nolo ea hoc in loco repetere, sed posteriorem & præcipuam huius capitinis partem DE CONSILIA RIBUS FIDIS ET INFIDIS breui annotatione illustrabo.

Deus condidit homines, ut singuli in sua vocatione, Deo grata, recta, iusta, & sibi & alijs salutaria agant. Vult igitur non temere vagari cogitationes & actiones nostras, sed prudenti deliberatione & consilio, ad normam rectitudinis congruente, gubernari. Nam virtutis actio est προσεγέλμη, hoc est, consulto & sponte suscepta, & vulgo dicitur: Quicquid ages prudenter agas, & respice finem. Nihil autem in hac naturæ caligine & cœcitate proclivius est, quam in consilijs & actionibus labi, errare, hallucinari. Ideo Deus ipse normam consiliorum & actionum rectarum certam & immotam proposuit, de qua in Psalmo dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Regula enim totius vitæ nostræ, in cognitione de Deo, & gubernatione morum, & actionum omnium, esse debet

SAPIENTIA & VOLUNTAS DEI, quam in lege seu verbo suo reuelauit. Cumq; vere ισηρὸν χεῖμα sit ἡ σοφελὴ: iubet Deus & normam consiliorum in verbo ipsius propositam attentè considerare, & in conspectu fiduc habere, & simul a se peti recta consilia & successus salutares, ut hic monet Syracides: In omnibus his inuoca altissimum, ut det successum factum tuis, nec patiatur te labi & errare. Vult etiam nos aliorum prudentiarum sententias & consilia sciscitari & audire. Nam in tanta confusione negotiorum vitæ humanæ & varietate circumstantiarum difficile est

generalem normam legis ad singula facta dextrè & rectè applicare. *εἰςχόμενα καὶ τὰ πέποντα*, cuim duo vel plures veniunt ad deliberationem, & sententias ac consilia inter se conferunt, tunc quod unus non videt, alter animaduertit. Cum duo consultant, hunc quod latet, inuenit alter. Verissime autem dixit Isocrates: *Σύμβολον ἀγάθων χειρομάτατον καὶ βασικώτατον απαιτῶν πτηνάτων οὐας*. Consiliarium bonum esse utilissimum & maximè regum thesaurum. Ideo reges & Principes sua decreta & mandata proponentes plurali numero de se ipsis loquentes vtuntur, vt significant, se non adulatores, sed communicato cum fidis & sapientibus amicis consilio, illa constituisse. Præcipue autem hoc in loco Syracides monet: *Quales consiliarij à nobis in consilium adhibendi sint*: videlicet, non adulatores sicut, non pleonectici priuata commoda spectantes, non inuidi, non partiales. Cum his non deliberandum esse, nouem exemplis demonstrat.

Requirit autem in consiliario, Primum fidem seu benevolentiam erga nos sinceram & constantem. 2. Piam prudentiam, quæ ad normam verbi diuini vnicam honestatis & rectitudinis regulam, & utilitatem consilientis, deliberationem dirigit, & qui euentus ex quibus consilijs & actionibus sequi vtitate soleant, proprio vnu & experientia didicit, vt de senili prudentia Homerus inquit: *οὐε γέρων μετένοι αἷα πέροστα καὶ ὄπιοστα λέωσει, ὅπερ οὐ οἴσα μέτ' αἱμοφορέοις θύμηται*. Et Cyri consiliarius Crœsus apud Herodotum inquit: *τὰ παθημάτα οἱ παθημάτα γεγονέναι*, se suis calamitatibus & dannis didicisse, quæ consilia & actiones suscipi, quæ intermitti debeant. 3. Autoritatem, vt in ea existimatione sit apud consulentes, vt ipsis iudicium ac sententiam libenter sequantur, non aspernentur, aut contemnant, sicut Aeschylus optat: *Πεθὼ μοὶ εποίητο καὶ τύχη δραστήρις*. Obedientia meum consilium sequatur, & felix successus. Cum autem & ipsa sapientia, & autoritas seu inclinatio animorum in hominibus, qua alicui præstantiam sapientiae & doctrinæ tribuunt, ideoq; se ei subiiciunt & obtemperant, Dei donum sit: ardentibus votis sapientiam nobis & alijs salutarem a Deo dari petamus, eamq; quæ nobis contigit doctrinam & prudentiam, ad Dei gloriam & aliorum hominum utilitatem referre studeamus, vt Iacobus inquit: Si quis indiget sapientia, petat a Deo nihil haesitans. Et nota est sententia veteris & sapientissimi carminis: *ἄλλω Δὲ τὸ σύθεστο τιθεῖ νόον δρυόποτα ζεῦς ιδίατος Φέδε τε τολλοὶ επανρίσκοντι αὐθεωποι, ερχόμενον Δὲ αὐτὰ ἀσυ Θεὸν ὡς εισορόωστι*.

## Sapientia.

## Prudentia.

Prodest etiam regulas generales de prudentia seu regendis iuxta rectam rationem consilijs & actionibus vita in cōspectu habere. Quarū hæc prima est, vt norma omnium consiliorum & actionum sit verbum Dei, nec vlla res tantum aëstimetur, vt propter eam actiones lege Dei prohibitas suscipiamus. 2. Pluribus propositis honestis, delectum habeamus inter necessaria & propria nostræ vocationis officia, & πολυπειραγμονικὰ seu non necessaria quantumuis plausibilia & speciosa videantur. 3. Metiamur nostras vires, & nihil tentemus aut suscipiamus impossibile. *ἄστετε γὰρ τοῖσι σκέλεσι, θεραψεῖσθε εἰπίσιοι πέποντα δινατὰ βαδίσετον*. Ut enim pedibus ita spibus ad possibilia eundum est. 4. Cum medium ipsum, quod est virtus, a duobus extremis æqualiter remota, attingere difficile sit: satius est in eam partem delinquerre, vt minus faciamus, quam ut nimium, Eccles. 7. Ne plus sapias, quam necesse est.